



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 11. De pace inter Albertum Archiducem & Batavos actum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII. hoc anno die vigesima Februarii præfatum edictum tanquam irritum declarabat, statuens, *Religiosos, qui Jesuita vocantur, in suum illum Principatum eodem modo, quo aliorum Ordinum Ecclesiasticos & Religiosos, esse admittendos, dummodo observarent, & sese subicerent formulis & legibus per edicta & statuta sue Majestatis præscriptis, & disciplinæ Ecclesiasticæ, quam omnes alii Religiosi & seculares observare tenentur.* Enimvero ab illo tempore ibidem Religio Catholica, quam Joanna Albreta Henrici IV. Mater exulare jussit, respirare cæperat, tranquillæ ac integræ possessionis gloria Ludovico XIII. Regi reservata.

§. XI.

De pace inter Albertum Archiducem & Batavos actum.

*Merc. 1.6.
l. 3. & l. 31.
Callut. de
bello Belg.
lib. 20.*

Prorogatis in sex hebdomadas indicis de firma pace agi cæptum est, tam Alberti Austriæ Archiducis, quam Fœderatorum Ordinum Legatis Hagæ Comitis convenientibus. Die igitur sexta Februarii in primo congressu utriusque partis Delegati suas proferebant mandati literas: quæ vero ab Hispano Rege & Archiducibus erant, non placuere Protestantibus, eoquod Archiduces *Belgii Principes* nominarentur. His

His tamen responsum, in more Principibus esse, regnorum, in quæ jus sibi vendicant, licet eas non possiderent, stemmata præferre, Albertum tamen hunc titulum mox abdicaturum, si vicissim Fœderati a navigatione Indica abstinerent. Ast surdis hæc auribus excepere Fœderati, nec tamen Archidux alia sub lege suo in Belgium juri cedere statuit: eapropter conventum est, hac de re alio tempore deliberandum esse. Postmodum septima Martii die Fœderati viginti octo, Regii vero Oratores nonnisi septem, de quibus ageretur, articulos proponebant, cum autem inter eos sextus *de Religione & rebus ab ea dependentibus ageret*, mox obstrepebant Fœderati, indignum esse affirmantes, quod conscientiæ libertas exteri Principis arbitrio committeretur: his accessit Janinus Galliarum Regis Orator, qui ante constitutam pacem de Religione haud agendum edixit, imo etiam cum Fœderatis novam armorum societatem non sine Hispanorum & Archiducis indignatione iniit. Interim Philippus III. Hispaniæ Rex de hujus congressus statu edoctus, datis ad Archiducem & Spinolam literis significabat, quod nec suæ estimationi nec studio, quo tenerentur, Catholicam fidem tuendi, satisfacturi essent, nisi efficiant, ut Fœderati libe-

Sæc. XVII.
A. C. 1608.

Sæc. XVII. rum, publicumque in suis Provinciis
 A. C. 1608 permittant fidei Catholicæ exercitium
 cunctis, qui in ea mori ac vivere velint:
 circa navigationem autem Indicam con-
 sultius videretur, ut induciæ statueren-
 tur in annos quinque vel sex: interim
 vero de libero Catholicæ Religionis usu
 ageretur. Hoc Regis Catholici propo-
 situm excitabat Galliarum Regem, qui
 una ex parte gloriam de propria utili-
 tate Religionis commodo posthabita
 Hispanis invidebat, altera vero in hac
 pace potissimas habere partes ambiens,
 haud segnus Religionis studium præfe-
 rre gestiebat, hinc præprimis Ubal-
 dino Papæ Nuntio declarabat, quod
 ipsemet Catholicam Religionem in his
 Provinciis tueri vellet, dummodo Ar-
 chidux Regis opem imploraret, & a
 fœderatis idem efflagitare non renueret,
 atque Hispaniæ Rex mortuo Alberto suo
 secundo genitum filium cum Galliarum Re-
 gis filia desponsandum Belgii successio-
 rem nominaret. Postea Toletano Ori-
 rio Hispaniæ Legato per eundem Nun-
 tium significari præcipiebat, quod fœ-
 dus nuper cum Fœderatis sancitum mi-
 nime paci obsuturum sit, eo quod non
 nisi post pacem constitutam, & conce-
 sum Religionis usum vim suam habere
 valeret. Interim fœderati a Peckio suo
 apud Gallos Oratore perceperant, quod
 Hispaniæ

*Depech.
 d' Ubald. au
 Card. Borgh.
 25. Decembr.
 1607.*

Hispaniæ Rex jus suum quidem duran- Sæc. XVII.
 tibis induciis quodammodo suspendi A. C. 1608.
 passus sit, id tamen nunquam facturus
 nisi sublato commercio indico, & resti-
 tuta Religione Catholica, hancque in
 rem Franciæ Rex unacum Romano Pon-
 tifice omnem operam, studiumque con-
 ferat. Idem quoque nuntiabat Petrus
 Brederodus Ordinum in Germania Ora-
 tor: cum ergo die vigesima Augusti præ-
 cipua haberetur deliberatio de Religio-
 ne & Indico commercio, ac Catholici
 præprimis fidei Catholicæ libertatem
 omnino deposcerent, Protestantes vi-
 gesima tertia ejusdem Mensis die con-
 gressum solverunt, ruptæ negotiatio-
 nis causas per edictum manifestantes.

§. XII.

*Pace desperata induciarum negotiatio
 inita.*

Cum ergo ob Protestantium pertina- Daniel hist.
 ciam pacis spes penitus evanesce- de France
 ret, nil reliquum erat, nisi ut de pro- tom. 10.
 rogandis ageretur induciis: Hæc con- Rapin. hist.
 silia præprimis susceperant Janinus d' Angl. l. 18.
 Franciæ & Robertus Spencerus Angliæ O- Grotius Hist.
 ratores, quapropter vigesima septima lib. 17.
 Augusti die Fæderatis declararunt, sibi a Ferreras
 suis Regibus mandatum, ut si pax Hist. Hisp.
 fieri non posset, ad inducias saltem fan- cont. cap. 1.
 cien-